

dispensandi absente Episcopo etiam competit generali
ejus Vicario, sede vacante Capitulo: quia tunc ad il-
lud ejusque Vicarium transit Episcopi jurisdictio.

DISPUTATIO XLIII.

De subjecto ordinis & obligatione.

Subjectum ordinis est, cui tum licitè tum validè or-
do conferri potest, licitam ordinis susceptionem
impediunt omnes suprà Disput. XXXIX. Q. IV. §. 3.
enumeratæ irregularitates ex Jure Ecclesiastico descen-
dentes. Officium ordinis consistit in functione cui-
libet ordini propriâ, quam ut decenter & congruè
ordinatus impleat sitque idoneus Dei minister, quædam
virtutum exercitia eadem Ecclesia ordinatis injunxit,
in quibus consistit ordinis obligatio.

Q U Æ S T I O I.

Quibus ordo licitè & validè conferatur?

DICO I. *Si mulieri exhibeantur omnia, qua in or-
dinibus fiunt, ordinem tamen non suscipit.* S. Th.
in suppl. Q. 39. a. 1. O.

Explicatur & probatur: Præter Baptismum gene-
raliter ad omnia Sacramenta requisitum: quia Baptis-
mus est janua omnium Sacramentorum, & prius quis
debet in Ecclesiam ingredi per Baptismum, quam in eâ
gradum & præminentiam consequi; requiritur non
tantum ad licitam sed etiam ad validam ordinis suscep-
tionem Sextus masculinus: quia omnis ordo significat
gradum alicujus præminentia; atqui hujus sunt in-
capaces fœminæ: quia Apost. inquit 1. Tim. 2.
*Docere mulieri non permitto, neque Dominari in vi-
rum & 1. Cor. 11. Caput mulieris vir. & cap. 14.
v. 34. Mulieres in Ecclesiâ taceant, non enim per-
mittitur eis loqui, sed subditas esset sicut & lex dicit
videlicet Gen. 3. v. 16. Sub viri potestate eris & ipse
dominabitur tui.*

Unde

Un
jus sig
cennâ
luit.

Obj.

byreraru
minis

ædet

XXVII

partici

Presby

quia f

nificat

emissio

Diacon

tus P

factus

DI

requir

porum

S. Th.

Ex

etiam i

omne i

ad sui c

piensis

confirm

etiam i

menta p

queant

prius sul

requirit

nihil ali

impressio

modum

III, P

Unde jure divino fœmina ordinis est incapax, in cujus signum Christus sacerdotes instituens in ultimâ cenâ ne unam quidem mulierem præsentem esse voluit.

Obj. In jure sæpe fit mentio Diaconissarum & Presbyterarum, ergò videtur olim ordo fuisse collatus fœminis

videt S. Th, loc. cit. *Diaconissarum* (Can. 23. *Caus. XXVII Q. I.*) Dicitur, quæ in aliquo actum Diaconi participat, scilicet, quæ legit homiliam in Ecclesiâ. *Presbytera* (Can. 19. dist. XXXII.) Dicitur vidua, quia Presbyter idem est quod senior. Aliàs etiam significatur nomine Diaconissæ mulier, cujus maritus, emisso utrimque voto continentiæ, assumptus erat ad Diaconatum, nomine Presbyteræ, illa, cujus maritus Presbyter, & nomine Episcopæ, cujus maritus factus esset Episcopus.

DICO 2. Quidam dicunt, quod ad omnes ordines requiritur usus rationis de necessitate Sacramenti, sed eorum dictum ratione vel auctoritate non confirmatur. S. Th. in suppl, Q. 39. 2. 2. Q.

Explicatur & probatur Conclusio: Omnes Baptizati etiam infantes sunt capaces validæ ordinationis: quia omne illud Sacramentum validè confertur infanti, quod ad sui collationem non requirit proprium actum suscipientis Sacramentum, ut patet in exemplo Baptismi & confirmationis, quæ validè conferuntur infantibus etiam invitis parentibus, & à contrario ideo Sacramenta pœnitentiæ & Matrimonii ab infante suscipi nequeunt: quia illorum essentiam ingreditur actus proprius suscipientis; atqui ad susceptionem ordinis non requiritur actus proprius suscipientis: quia ordinatio nihil aliud est, quam collatio potestatis spiritualis per impressionem characteris. nec ordinatio se habet per modum judicii, uti Sacramentum pœnitentiæ, nec

per modum contractûs, uti matrimonium; ergò nulla est ratio vel authoritas in contrarium, cur infantibus ordo validè non conferatur.

Obj. Non potest alicui imponi obligatio, nec potest quis transferri in novum statum sine suo consensu, sed per ordines transfertur quis in novum statum, & si sint majores, imponitur ipsi onus perpetuæ continentiæ; ergo requiritur ad validam ordinationem consensus suscipientis ordines, cujus incapaces sunt pueri, amentes alique usu rationis destituti.

R. Possè aliquem transferri in novum statum sine suo consensu, quando illa translatio est favorabilis, ut patet in exemplo Baptismi, quo ille, qui erat extrâ Ecclesiam, sine suo consensu Ecclesiæ incorporatur; per ordinationem vero confertur infanti merus favor: nempe potestas sacra munia obeundi, neque foret talis infans ordinatus obligatus ad servandam continentiam aliaque onera annexa ordinibus, si post adeptum usum rationis vellet abstinere ab exercitio ordinum, si vero voluntariè ordines exerceret, hoc ipso quoque teneretur ad servandam continentiam, & ad cætera onera tali statui annexa.

DICO 3. *Quicumque indignum promovet... crimen mortale committit, quasi summo Domino infidelis, & præcipuè cum hoc in detrimentum Ecclesiæ vergat & honoris divini, qui per bonos ministros promovetur.* S. Th. in suppl. Q. 36. a. 4. O.

Probatur: Ille qui vel ob defectus naturales vel ob defectus juris positivi inhabilis est ad functiones sacras, non est ad ordines sub gravi obligatione promovendus; quia potestas constituendi ministros Ecclesiæ est in ædificationem fidelium & honorem Dei ordinata, ergò eâdem abutentes & indignos promoventes gravis peccati rei sunt; hinc Apost. I. ad Timot. 5. v. 22. monet: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris*

vis p

14.

prac

dines

de ho

cap. 1.

num à

major

sem ar

nunti

tà dil

moni

licitu

Pe

Ratu

cunc

Speci

I.

surâ,

trans

mam

2.

fit tar

cepti.

3.

Trid.

est an

23. riu

choate

tus.

4.

certa 8

sustenta

benefici

sæ ut con

vis peccatis alienis. Et in cap. eam te 4. cap. cum sit 14. cap. quamvis fin. de æt. & qual. & ord. præfic. præcipitur ut diligenter attendant Episcopi, an ad ordines & beneficia promovendi sint idonei, statuitque de hoc providè multa Con. Trid. sess. 23. de reform. cap. 5. ut ad minores ordines promovendi habeant bonum à Parocho & magistro scholæ testimonium, ad majores promovendi à Parocho vel alio, quem per mensem ante ordinationem adeant, in Ecclesiâ publicè denuntientur & super natalibus, ætate, moribus & vitâ diligenti inquisitione præviâ obtineant litteras testimoniales & cap. 11. 12. 13. 14. 18. circâ examen & sollicitudinem de idoneitate ordinandorum utiliter statuit.

Porrò digni & idonei ad ordines sunt, qui præter statum gratiæ ad dignè & fructuosè recipiendum quodcunque Sacramentum vivorum requisitum, omnia specialiter à Jure requisita habent.

1. Ordinandus debet esse Clericus sive primâ tonsurâ, per quam aliquis à statu laico ad Ecclesiasticum transfertur, insignitus: quia ordo præsupponit primam tonsuram.

2. Debet esse confirmatus: quia licet confirmatio sit tantum consilii, in ordinando tamen est præcepti.

3. Debet habere legitimam ætatem, qualis ex jure Trid. sess. 23. cap. 12. de reform. ad Presbyteratum est annus 25tus inchoatus, ad Diaconatum annus 23tus inchoatus, ad Subdiaconatum annus 22dus inchoatus, ad Episcopatum annus 30mus completus.

4. Ad ordines majores requiritur Titulus: hoc est certa & indubitata substantia, ex quâ aliquis congruè sustentari possit, est autem hic titulus triplex: Patrimonii, beneficii & paupertatis Deo per votum solemnè promissæ ut constat ex Trid. sess. 21. cap. 2. beneficium, cujus

titulo est quis ordinandus debet esse sufficiens ad congruam sustentationem ex certis non incertis redditibus, quæ sustentatio mensuranda est arbitrio Episcopi, pacificè possessum, quod beneficium non potest aliquis postmodum resignare, nisi factâ mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittitur, nisi constet, quod aliundè vivere commodè possit; aliter autem facta resignatio nulla est ex Trid. cit. ut ad Patrimonii vel pensionis titulum quis ordinari possit, requiritur insuper, ut Episcopus iudicet, talem pro utilitate vel commoditè Ecclesiarum suarum esse assumendum, illudque Patrimonium vel pensionem ad vitam sustentandam sufficientem esse, & verè ab ipso obtineri, ut statuit Concil. Trid. loc. cit. subjungens, quod etiam tale Patrimonium vel pensio posthac sine licentiâ Episcopi alienari aut extingui vel remitti nullatenus possit, donec ordinati beneficium Ecclesiasticum sufficiens statui suo sint adepti, vel aliundè habeant, undè vivere possint antiquorum Canonum pœnas super his innovando. Titulo paupertatis ordinantur religiosi approbatam religionem profitentes: cum ipsis monasterium de alimentis providere teneatur. S. Pius V. à titulo paupertatis exclusit omnes & singulos cujuscunque ordinis religiosos non professos (ut sunt Novitii) seu sæculares more religiosorum in communi viventes; qui nunquam aut nonnisi ad certum tempus professionem emiserunt, & ex claustro exire possunt in Bullâ 75tâ editâ 14tâ Octobris anno 1568. incipiente: Romanus Pontifex. Undè hi omnes non possunt ordinari, nisi observatâ forma Trid. sub pœnis in eâdem Bullâ contentis, quod etiam in nulliter professis locum habere videtur ut in quâdam decisione refertur sensisse rota Romana, siquidem nulliter professus non est professus: cum talis professio nullam inducat obligationem, nullumque juris effectum; specia-

De Se
le aliquod
post emissa
talia etiâ sin
ordines pro
Catholicæ S
verum quia
Societate di
nis Clerica
ejusdem Se
videre, d
consequan
dictis tribu
dinem Ge
di potest
vel Civita
standa i
quando
casu amp
quin in c
gatur, &
partibus
plioribus
nec bene
possent c
principu
ex zelo p
sionem t
s. Re
bilitate ac
esse mutil
core mun
aut labora
mone ob
quibus sup
Denique

le aliquod habent circa hoc religiosi Societatis Jesu, ut post emissâ absoluto Novitiatus biennio vota substantialia etsi simplicia possint ad sacros etiam Presbyteratus ordines promoveri juxta Bullam Gregorii XIV. Ecclesiæ Catholicæ §. 16 aliorumque Pontificum concessionem, verum quia nonnunquam contingit jam ordinatos e Societate dimitti, hinc ne tales in opprobrium ordinis Clericalis mendicare cogantur, tenentur Prælati ejusdem Societatis taliter dimissis de honesto victu providere, donec sufficiens beneficium Ecclesiasticum consequantur prout refertur declarasse Sixtus V. prædictis tribus titulis juxta praxin antiquam & consuetudinem Germaniæ & aliarum quarundam regionem addi potest titulus mensæ, vi cujus princeps territorialis vel Civitas quædam aut monasterium se obligat ad præstanda in subsidium tali Clerico necessaria alimenta, quando is præ infirmitate vel decrepirâ ætate vel alio casu amplius se honestè sustentare nequiverit, ne alioquin in opprobrium ordinis Clericalis mendicare cogatur, & hujusmodi titulus ex eo potissimum hisce in partibus usu invaluit: quia in Parochiis præsertim amplioribus opus est pluribus Clericis cooperatoribus, nec beneficia adeò frequentia existunt, ad quæ eidem possent ordinari, undè horum defectum munificentia principum temporalium seu aliarum communitatum ex zelo propagandæ religionis Christianæ per concessionem tituli mensæ supplere gestiebat.

§. Requiritur immunitas ab irregularitate vel inhabilitate ad ordines per jura inducta, undè non debent esse mutilati & notabiliter deformes, ut absque dedecore munia Ecclesiastica subire non possit. Epileptici aut laborantes morbo caduco, Energumeni sive à Dæmone obsessi. Lunatici, vel aliis irregularitatibus, de quibus supra, impediti.

Denique præter modum honestatem requiritur in

ordinando competens scientia ex Con. Trid. sess. 23. cap. 11. ad minores ordines intelligentia linguæ latinæ cap. 13. ad Subdiaconatum & Diaconatum ut litteris & iis, quæ ad ordines pertinent sint instructi cap. 14. ad sacerdotium ut sint idonei ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem ac ministranda Sacramenta. In Episcopis autem, quia majores sunt gradu & dignitate, requiritur major scientia tum Theologica tum Canonica ut dubia juris resolvere & doctrinam sacram certam ab incertâ discernere possint, hinc Apost. Episcopum vult esse doctorem, *Ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ & eos, qui contradicunt, arguere.* Cum enim Episcopus sit principalis Diœceseos Parochus, de eo magis quam de aliis Parochis verum est illud Malach. 2. *Labia sacerdotum custodient scientiam & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.*

Q U Æ S T I O II.

An votum continentia sit annexum & quibus Ordinibus?

DICO: Sunt tantum tres ordines Sacri scilicet Sacerdotium & Diaconatus, qui habent actum circa Corpus Christi vel sanguinem consecratum; & Subdiaconatus, qui habet actus circa vasa consecrata, & ideo etiam eis continentia indicitur, ut sancti & mundi sint, qui sancta tractant. S. Th. in suppl. Q. 37. a. 3. O.

Probatur Conclusio 1. De Episcopis Presbyteris & Diaconis Apost. ad Tit. 1. ait: oportet Episcopum esse continentem, quo non tantum significatur abstinentia ab illicitis, sed etiam à legitimis conjugii amplexibus, undè S. Hieronymus illum locum exponens inquit: continentem addidit, nempe ab uxoris amplexibus & in Concil. Carthaginensi 2. cap. 2. sic decerni-

De
cernitur
diaconi
custodere
Apostoli
quoque c
2. De
do huic o
nentia;
conos lig
cros con
atate &
huic ordi
nullum
3. dist.
cap. un
trimon
dicitur in
in 6. lib
vent &
dixerit
Matris
non obse
si verò
ordine
sua latin
juge ex
tit. 38.
latina E
ordinal
trimoni
cap. 12.
tudinem
nisi eo te
Porro
ordinibus

cernitur : omnibus placet ut Episcopi presbyteri diaconi vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiae custodes etiam ab uxoribus se abstineant, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.

2. De subdiaconis incertum quidem est, quando huic ordini coeperit esse annexa obligatio continentiae; cum olim illa tantum presbyteros & diaconos ligabat, nec subdiaconatus inter ordines sacros computatus fuerit, at tamen ex cap. à multis 9. de aetate & qual. & ord. praefic. modo certum est quod huic ordini sit annexa continentia, cui accedit can. nullum 1. can. decernimus 2. & arg. can. quando 3. dist. XXVIII. item cap. cum olim de cler. conjug. cap. un. de vot. & vot. redempt. in 6. Hinc si ante Matrimonium initietur quis ordine subdiaconatus, redditur inhabilis ad Matrimonium ex cap. un. de vot. in 6. lib. 3. tit. 15. cap. 1. & 2. qui clerici vel vovent &c. lib. 4. tit. 6. & Trid. Sess. 24. can. 9. *si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos . . . posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto . . . Anathema sit,* si verò post Matrimonium contractum quis suscipiat ordinem sacrum cum consensu conjugis, in Ecclesia latina, non autem graeca, separandus est à conjugate ex cap. quæsitum 7. de pœnit & remiss. lib. 5. tit. 38. licet enim lex continentiae æquè in graeca ac latina Ecclesia obligaret eos, qui ante Matrimonium ordinabantur, in Ecclesia tamen graeca durante Matrimonio promoti (exceptis Episcopis ut patet ex cap. 12. synod. 6.) permittebantur habere consuetudinem cum uxoribus, nec ab hâc prohibebantur, nisi eo tempore, quo altaribus sacris inserviebant.

Porrò hæc continentiae obligatio non est sacris ordinibus annexa ex jure divino, sed ecclesiastico

mediatè vel immediatè in sacris constitutos ad continen-
 tiam obligante, & Matrimonium post ordinem
 susceptum contractum invalidante, uti clarè docet
 S. Th. 2 2. Q. 88. A. 11. O. dicens: *non est essentia-*
liter annexum debitum continentia ordini sacro, sed ex
statuto Ecclesie, undè videtur quod per Ecclesiam pos-
sit dispensari in voto continentie solemnizato per suscep-
tionem sacri ordinis & in 4. dist. 37. Q. 1. A. 1. sic
habet: quod ordo sacer . . . impediatur Matrimonium ex
constitutione Ecclesie habet, tamen aliter apud Latinos
quam apud Græcos: quia apud Græcos impedit Matri-
monium solum ex vi ordinis: sed apud Latinos impedit
ex vi ordinis, & ulterius ex voto continentie, quod
est ordinibus sacris annexum, quod etiam si quis ver-
bocenus non emittat, ex hoc ipso, quod ordinem sus-
cipit secunãum ritum occidentalis Ecclesie, intelligitur
emisisse: & ideo apud Græcos & alios Orientales sacer-
ordo impedit Matrimonium contrahendum, non tamen
Matrimonii prius contracti usum: possunt enim Ma-
trimonio prius contracto uti, quamvis non possint Ma-
trimonium de novo contrahere; sed apud occidentalem
Ecclesiam impedit Matrimonium & Matrimonii usum,
 probatur etiam ex Trid. Sess. 24. can. 9. faciente
 mentionem non divinæ, sed ecclesiasticæ legis: *si quis*
dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos vel regu-
lares castitatem solemniter professos posse Matrimonium
contrahere contractumque validum esse non obstante lei-
ge ecclesiasticâ vel voto &c. Anathema sit.

Dices: in lege veteri Deus præcepit, ut Sacerdo-
tes per vices ministrantes in templo toto tempore vi-
cis suæ abesse deberent à domo & ab uxoribus suis,
 colligitur ex 1. Paralip. 24. & Levitici 1. ergo idem
 Dei præceptum in lege nova obtinet.

&. Negando consequentiam: cum lex divina ve-
 tus quoad cærimonialia abrogata sit; sequitur ta-
 men

men
 conf
 dinat
 tation
 ni imm
 missa e
 alendo
 litati &
 ex his
 sacris
 media
 ex pl
 ordina
 tione
 re sul
 tiaz vo
 votur
 ca no
 etiam
 vener

An or

D

sum a
 non po
 struete
 officiu
 dederi
 Innoc
 9. de c
 Ex

quod
 non te

men ex eo, quod congruentissimè Ecclesia in sacris constitutos ad continentiam astringat, tum ut ordinati liberius Deo vacent, tum ut maiorem venerationem obtineant à plebe, quo remotiores ab omni immunditia venerea etiam in statu conjugali permessa esse cernuntur, tum ne in uxorem & liberos alendos redditus beneficiorum impendentes hospitalitati & curæ pauperum minus intenti esse valeant, ex his ergo congruentiis obligat Ecclesia clericos in sacris constitutos ad perpetuam continentiam vel mediatè vel immediatè quod addo: quia imprimis ex pluribus canonibus obligantur suscepturi sacros ordines vel expressè vel implicite (volendo obligationem castitatis ex motivo religionis statui à se libere suscipiendo annexam subire) emittere continentiz votum, si tamen ex malitia vel ignorantia tale votum non emitterent, nihilominus lex ecclesiastica non tantum ad Matrimonium inhabilitat, sed etiam immediatè obligat ad omnimodam ab actu venereo abstinentiam.

QUÆSTIO III.

An ordinati obligentur & quomodo ad horas canonicas?

DICO Non solum quidam minores clerici, verum etiam aliqui Ecclesiarum Prelati... dum auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina, hac... penitus inhibemus districtè precipientes in virtute obedientia, ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent pariter & devotè Innoc. III. in Concil. Lateran. relato in cap. dolens. 9. de celebr. Miss, lib. 3. tit. 41.

Ex quo patet clericos minores non hoc sensu, quod sint in minoribus ordinibus constituti, hi enim non tenentur ex generali consuetudine, quæ est op-

tima legum interpres, ad recitandas horas canonicas, nisi ratione beneficii, sed qui dicuntur minores respectu Prælatorum Ecclesiæ, cæterum sint in sacris constituti ordinibus, illos inquam obligari ad studiosè id est integrè quælibet verba pronuntiando & devotè id est cum attentione & intentione Deum laudandi, recitandas horas canonicas. Eadem obligatio supponitur in cap. presbyter 1. eod. tit. *presbyter mane matutinali officio expleto pensum servitutis sue videlicet primam, tertiam, sextam, nonam, vespersamque persolvat.* Sed quia textus ille procedit de presbytero parochiali inefficax ad cæteros clericos ex illo desumitur argumentum. Undè probabilius videtur, quod hæc obligatio (de qua plura videantur 2 2. Disput XXXV. Q. IV.) non tam ex jure scripto, quam ex consuetudine orta sit, sicut eandem supponit Concil. Basileense Sess. 21. ante schisma celebrata, comprehenditque solos clericos in majoribus non verò in minoribus ordinibus constitutos.

Dices : In can. si quis presbyter 9. Dist. XCII, dicitur : *si quis presbyter aut diaconus vel quilibet clericus Ecclesia deputatus, si intra civitatem fuerit aut in quolibet loco, in quo Ecclesia est & ad quotidianum psallendi officium matutinis vel vespertinis horis ad Ecclesiam non convenerit, deponatur à clero* ; ergo videntur quilibet clerici ad officium canonicum obligati.

R. Cit. can. non loquitur de privata officii canonici persolutione, sed de publicâ ejus celebratione in choro, deindè agit de clerico Ecclesiæ deputato sive beneficiato, undè nihil quoad non beneficiatos inferri potest.

An autem Episcopus ex rationabili causa clericis in minoribus existentibus posset obligationem recitandi

D
tandi
fundan
le statu
mentum
præfectio
constat
gente,
vel prec
biliter à
tur esse
gandi.

D
rona S.

Rat

in can.

de vit.

rat sign

ti, quas

duo su

tur cler

eligit,

tibus re

designa

stitutio

Christo

rerum a

Obj.

rotundus

minus p

non si sun

cerdorib

tandi

tandi horas canonicas imponere: controveritur, fundamentum sententiæ affirmativæ est, quod tale statutum nullibi à jure reprobetur & ad augmentum cultûs divini, ac ad majorem clericorum perfectionem servire possit. De facto autem nullibi constat de tali lege vel statuto in aliquâ Diœcesi vigente, imò & clerici non recitantes partem officii vel preces ab Episcopo ordinante impositas probabiliter à gravi peccato excusantur: quia non videtur esse Episcopi ordinantis intentio graviter obligandi.

QUÆSTIO IV.

An ad tonsuram & habitum obligentur?

DICO 1. *Eis qui ad divina ministeria applicantur, competit rasura & tonsura in modum corona S. Th. in Suppl. Q. 40. A. 1. O.*

Ratio est: præceptum Ecclesiæ grave contentum in can. prohibete 21. dist. XXIII. & cap. clericus 5. de vit. & honest. cler. cum tonsura clericalis præferat significationes aliquas magni ponderis & momenti, quas declarat S. Hieron. relatus à Gratiano. in can. duo sunt 7. caus. XII. Q. 1. hujusmodi homines vocantur clerici id est sorte electi, omnes enim Deus in suos elegit, hi namque sunt reges id est se & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent, & hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione romana Ecclesiæ in signum regni, quod in Christo expectatur, ratio verò capitis est temporalium rerum depositio, illi enim victu & vestitu contenti &c.

Obj. Ratio capitis prohibetur Levit. 19. neque in rotundum attondebitis comam etiam Jerem. 9. Dominus prædicit quod puniturus fit omnes, qui attonsi sunt in comam. Et Levit. 21. & Ezech. 44. Sacerdotibus præcipitur, ne caput radant, ergo clerici

rici novæ legis non sunt tondendi aut in modum coronæ in capite radendi.

¶ *By.* Locis S. Script. citatis prohibetur, ne Sacerdotum tonderentur vel radentur capita secundum ritum Idololatrarum, secundum quem in honorem Idolorum promissi puerorum capilli tondebantur & Dæmonibus offerebantur, cæterum Jerem. 7. v. 29. præcipitur Jeremiæ: *tonde capillum tuum* idem jubetur facere Ezechel cap. 5. & cap. 44. de Sacerdotibus & Levitis dicitur: *tondentes attondebant capita sua*, ex quibus constat non religiosam sed supersticiosam rasuram & tonsionem in sacris litteris prohiberi, sicut & Jerem. 9. puniendi dicuntur attonsi in comam, id est, qui partem comæ relictam per tonsionem reliquorum capillorum ornabant; hoc autem modo non tondentur Clerici, sed præcis capillis coronam in capite gestant. Neque in hoc Ecclesia imitatur verè nazaraeos tanquam eos, à quibus hæc rasura coronæ originem habet, sed tanquam exhibentes figuram ejus, quod in Ecclesiâ in veritate agitur.

DICO 2. *Oportet Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre* Trid. sess. 14. de reform. Cap. 6.

Ità desumitur tum de Tonsura tum de habitu ex Cap. un. de Cler. conjugat. in 6. Cap. si Judex 12. de sent. excom. in 6. præcepit vero hoc ideo Ecclesia, ut Clerici per decentiam habitus extrinseci ostendant intrinsecam morum honestatem, quæ motiva de vestibus & tonsura cum sint gravia & præceptum Ecclesiæ in materia gravi obliget sub mortali, sequitur legem de habitu & tonsurâ Clericali esse obligantem sub mortali, nisi adsit causâ excusans, vel si tantum ad breve tempus habitus deponitur, alàs si attentis circumstantiis loci temporis ac personæ graviter offendar honestatem, cedatque in aliorum scandalum, non gestatio habitus

De S
est peccat
ab aliquib
initiatos C
tur Clerici
cio, cum
tiori proce
de Cler. co
omni privi
tam ex Ca
Clerici in
vel pensio
dam Ton
Porrò
muni Re
debeat v
est. ut
ex Cler
Dist. XX

Spons
res
sponsa &
sunt de p
ti sunt ip
sentis ter
quibus v
jugalis,
sponderu

Quæ

DICO
est

est peccatum mortale; licet verò hæc obligatio gravis ab aliquibus extendatur ad omnes etiam sacris nondum initiatos Clericos, attamen verius est, quod excusentur Clerici in minoribus constituti, si careant beneficio, cum possit à statu Clericali resilire, quod à fortiori procedit de Clericis conjugatis Cap. Joannes 7. de Cler. conjug. Imò tales si Bigami sint, utpote privati omni privilegio Clericali, non debent deferre Tonsuram ex Cap. altercationis de Big. in 6. Quod si verò Clerici in minoribus constituti obtineant beneficium vel pensionem Ecclesiasticam, obligantur ad deferendam Tonsuram & habitum cit. Cap. Joannes 7.

Porro nullibi præscribuntur certæ vestes, sed communi Regionis usui relinquitur, juxta quem expendi debeat vestium decencia, præcipuè vero cavendum est, ut ex earum aspectu agnoscantur esse Clerici ut ex Clement. 1. de elect. & Can. si quis virorum 15. Dist. XXX. colligitur.

DISPUTATIO XLIV.

De sponsalibus.

Sponsalia dicuntur à spondendo: quia olim Parentes vel amici spondebant pro uxore, quæ exindè sponsa & futurus maritus sponsus appellebatur, alia sunt de præsentibus, alia de futuro, sponsalia de præsentibus sunt ipse contractus matrimonialis per verbum præsentis temporis initus, ut accipio te in uxorem meam, quibus verbis implicite mutua cohabitatio, amor conjugalis, & traditio corporum ad finem matrimonii spondetur, de sponsalibus de futuro sit

QUÆSTIO I.

Quenam requirantur ad valorem sponsalium?

DICO. Cum sponsalia sint quedam promissiones futurorum, oportet quod illorum sint qui aliquo modo